



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

De Conivngendis Filiis Ante vel post compaternitatem genitis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ecclesiasticæ : quod qui præsumperint , anathematis vinculo feriantur.

*Ex decretis Gelasii papæ , cap. 2.*

Quicumque intra anni spatium ciuilitè siue publice causam suam coram suis excommunicatoribus non peregerint , ipsi sibi audientiæ aditum clausisse videantur. Quod si obstinato animo defuncti fuerint , nos illorum causam , iuxta beati Leonis prædecessoris nostri sententiam , diuino iudicio reseruantes , quibus viuus non communicauimus , mortuis non communicamus.

CAP. VII. *Idem.*

Cum ab ecclesiarum prælatis ecclesiastica sententia in malefactores aliquos promulgatur , debet rata & firma consistere , vt vsque ad dignam satisfactionem inuiolabiliter obseruetur ; quapropter discretionis tuæ , &c. quatenus si quando iam dilectus filius noster plebanus sancti Pancratii , in clericos vel in laicos parochianos suos interdum interdicti vel excommunicationis sententiam rationabiliter tulerit , præcipias obseruari : nec eam sine congrua satisfactione , & absque conscientia eiusdem plebani , aliqua ratione relaxes.

DE CONIUNGENDIS FILIIS PARS XXXII.  
ANTE VEL POST COMPATERNITATEM  
genitis.

CAP. I.

*Alexander III. Salernitano archiepiscopo.*

VTVM autem filii vel filia ante vel post compaternitatem geniti , possint simul ad inuicem copulari , Canones secundum diuersorum locorum consuetudinem inueniuntur : & licet primus Canon exinde editus , natos post compaternitatem prohibeat ad inuicem copulari , alter tamen Canon posterius editus primum videtur corrigere : per quem statuitur , vt siue ante , siue post compaternitatem geniti sunt , simul possint coniungi : excepta illa persona dumtaxat , per quam ad compaternitatem peruenitur. Vnde tolerabilius nobis videretur , vt secundum

*Concil. Tom. 27.*

Pppp ij



Competen-  
ter determi-  
nat, cum  
prior Canō  
id non ne-  
get.

posteriorem Canonem, etiam post compaternitatem ge-  
niti, simul possint copulari, præter illam personam, per  
quam compaternitas contrahitur, nisi consuetudo eccle-  
siæ, quæ scandalum generet, aliter se habeat.

ANNO  
CHRISTI  
1179

CAP. II. *Idem eidem in eadem epistola.*

Si vir vel mulier scienter aut ignoranter filium suum de  
sacro fonte susceperit, an propter hoc ab inuicem separari  
debeant & alii copulari, quia nos generaliter consulere  
voluisti, consultationi tuæ respondemus, quod quamuis  
sit generaliter constitutum vt debeant, quidam tamen hu-  
manius & potius sentientes, aliter statuunt: & ideo nobis  
videtur, quod siue ex ignorantia, siue ex malitia id fece-  
rint, non sunt ab inuicem separandi, nec alter alteri debi-  
tum debet subtrahere, nisi ad continentiam seruandam  
possint induci. Quod si ex ignorantia id factum est, eos  
excusare ignorantia videtur: si ex malitia, eis sua fraus non  
debet patrocinari vel dolus.

PARS  
XXXIII.

QVI FILII SINT LEGITIMI,  
ET DE EXACTIONE DOTIVM  
post diuortium, & ad quem pertineat  
huius causæ cognitio.

CAP. I.

*Idem\* Exoniensis episcopo.*

**M**EMINIMVS nos fraternitati tuæ super causâ quæ in-  
ter P. & R. de quadam hereditate vertitur, quam  
idem P. nomine Sibyllæ vxoris suæ petebat, tali modo scri-  
pisse, vt si constaret, prout literæ tuæ continebant, inter  
dicti R. patrem & matrem, post eius natiuitatem matri-  
monium fuisse contractum, eum omni appellatione remo-  
ta legitimum esse denunties, & ab hereditate paterna pro-  
pter causam prædictam nullatenus debere repelli. Tanta  
est enim vis \* sacramenti, vt qui antea sunt geniti, post  
contractum matrimonium habeantur legitimi. Verum  
quoniam P. ultra quam in literis tuis continetur, nobis  
significauit, quod pater suus, viuente vxore, matrem R.  
tenebat, & eum in adulterio procreasset, & quod in mor-

\* matri-  
monii